

193. **O. sclerophyllum** Kränzl. n. sp. — Pseudobulbi solitarii (?) ovoidei oblongive, compressi, in latere latiore 1-costati, nitidi, sicci rugosi, unicus mihi visus 5 cm longus, basi 1,5 ad 2 cm latus, cataphyllis et foliis vaginantibus compluribus suffulti, monophylli. Folia omnia e basi complicata lanceolata ligulatave dura, carnosa, acuta, apice plus minus obliqua, maximum mihi visum ad 30 cm longum, 3,5 cm latum. Inflorescentia 60 ad 100 cm longa, stricta, superne paniculata, multiflora, scapus leviter flexus, validus, vaginulis perpaucis brevibus praeditus, rami paniculae patuli, inferiores iterum ramulosi, ad 9 cm longi, pluriflori, bracteae parvae, late triangulae vel expansae rhombeae, pedicelli cum ovariis 4 ad 5 mm longi, tenues. Sepala obovata, apice rotundato-retusa. Petala similia nisi antice latiora, omnia 6 mm longa, antice sepala 2, petala 3 mm lata. Labelli lobi laterales ab intermedio vix sejuncti, obtusi, sensim in isthmum latiusculum obtriangulum angustati, lobus intermedius vix latior quam basis, profunde bilobus, lobis rotundatis, crista labelli basi puberula fere pulvinata dicenda, deinde pluridactyla, antice in dactylos 2 exiens quibus lamellula acuta interposita est, totum labellum 8 ad 9 mm longum, basi 5 mm, antice 7 ad 8 mm latum. Gynostemii alae magnae, infra rotundatae, supra acutae, antheram superantes, rostellum et anthera longe producta, fovea stigmatica magna, tabula infrastigmatica quadrata. Flores lutei, sepala petalaeque castaneo-vittata vel maculata, labellum luteum, macula magna brunnea in basi, crista primum alba, deinde lutescens. — Fl. Aprili.

Subäquatoriale andine Provinz. Costa Rica: San Ramon (Endres!).

Nota. Species floribus ad *O. retusum* Lindl. vergit, tamen *Ornithorhynchis* adscribenda erit. Excellit inter alias species hujus sectionis statura valida foliisque duris, panicula tamen pyramidalis bene cum speciebus quibusdam *Ornithorhynchorum* convenit.